(20

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE


MEMBRANIS MUCOSIS

MORBISQUE GENERALIBUS IN IIS INCIPIENTIBUS.

AUCTORE W. P. WILSON.

Hoc argumentum Dissertationis meae Inauguralis selegi, non ideo quidem, quia speravi me posse aliquid novi adjicere placitis jam celeberrimis scriptoribus illustratis ac confirmatis, sed ideo quia volui in unum brevem conspectum quasi colligere praecipuos generales morbos, qui nuper primam suam sedem in membranis mucosis habere existimati sunt; simulque praecipua argumenta leviter attingere, quibus sustenta haec opinio ita percrebuit. Ubi primùm quidem públice prolatum

[1826]



est tot morbos, antea idiopathicos habitos, ex membranis mucosis initium suum capere, dictari solebat hanc sententiam vanam nimisque contractam esse; neque enim has membranas tam diffusas esse, quàm ut ad eas tam multi, tamque inter se diversi morbi referri possent. Superaverunt magnâ ex parte hanc oppugnationem ulterior ratio atque experientia: quas quò melius proponam, a brevi descriptione membranarum mucosarum incipiam.

Textura igitur mucosa est velum membranosum, coloris subalbidi, semipellucidum et sine fibris evidentibus. Idem parum resiliens est; itaque ubi obducit partes quae distentionem subinde patiuntur, in plurimas rugas colligitur: ab unâ parte glabrum est, multisque papillis aut villis distinguitur, ab alterâ asperum, partibusque vicinis, per telam cellulosam conjunctum. At ab ea parte ubi glabrum est, multo muco oblinitur; qui ab exiguis folliculis, quibus ubique scatet, manare putatur. Membranae mucosae reperiuntur autem solùm in variis viis corporis, quae a cu-

ticulâ continuantur; omnesque, quotquot sint, ad duas magnas praecipuas referri possunt, quarum reliquae quasi processus tantùm sunt. Ex his altera gastro-pulmonalis vocatur, altera genito-urinalis. Prior autem incipiens a naribus et ab ore, inde extenditur per varios sinus, qui cum iis commercium habent, perque varios ductus, qui in ea se aperiunt; atque ita, ad oculos et ad aures, ad pulmonem atque ad ventriculum continuatur; indeque producta in intestina, varios ductus, qui in haec desinunt, obducit, tandemque ad anum finitur. At posterior ab urethrâ inchoatur; unde ad vesicam et per ureteres ad renem tendit, ita ut ductus omnes, qui in his partibus finiuntur, simul obducat: in foeminis autem praeterea per vaginam atque vulvam, indeque per tubas fallopianas extenditur; ubi in peritonaeo (solum exemplum in corpore, ut credo, ubi membrana mucosa in serosam desinit) tandem terminatur. Nunc, si consideramus quanta sit simplex longitudo atque extensio harum partium (ex quibus cellulae aëris solum in pulmone existimantur habere decuplò

aut duodecuplò ampliorem superficiem quam universa summa cutis corporis,) ad hoc, in quàm multas rugas, hae membranae ubique implicentur, non absimile, credo, videbitur harum totam aream pariter, si non magis, amplam esse, quàm ullius alius in corpore texturae; et si simul contemplamur, quantò magis hae membranae, quam caeterae partes, injuniis noxiisque pateant, evidens erit, earundem vim, in morbis excitandis, necessario gravissimam esse. Quod attinet ad utilitates harum membranarum, praecipuae manifestè sunt tueri partes quas contegunt a contactu rerum alienarum, prohibereque ne inter se concrescant. Constat tamen proprietates earum valde diversas esse in variis partibus; alioque igitur ut aspectu, ita sensu, eas in naribus frui, alio in ore, alio in larynge, alio in ventriculo et intestinis. Per has omnes autem, non solum mucus, variaeque secretiones propriarum glandularum assidue effunduntur, sed exhalatur perpetuus halitus, perpetuaque absorptio efficitur; ut graves multiplicesque dotes membranarum mucosarum non minus notabiles

sint, quam ingens spatium per quod extenduntur.

Postquam igitur haec diximus de membranis mucosis generaliter, proximum est ut praecipuos morbos generales, qui ex sympathia quâdam cum his incipere videntur, breviter proponam; ac primum de febribus. Diu quidem cognitum est, ab initio protinus horum morborum, membranas mucosas propriè laborare; veruntamen a clarissimo Broussais, si non primum, certè optimè demonstratum est, febres ab his malè se habentibus, initium suum capere. Non ignoro ab aliis febrem in cerebro primam suam sedem habere existimari; ab aliis in jecinore; ab aliis ex toto generales et idiopathicas esse; sin verò considerare volumus, ut ea signa quae febres antecedere solent, ita causas earum excitantes, remediaque per quae optimè arcentur, fieri vix potest ut mihi quidem videtur, quin in opinionem de hâc re Broussais potissimum descendamus. Quid enim indicatur a nauseâ, summoque fastidio ciborum, et pravâ eorum

concoctione, ab albidis linguae sordibus, maloque spiritus odore, ab astrictâ alvo, et in epigastrio dolore, multisque aliis similibus signis, a quibus febres incipere consueverunt, nisi membranas mucosas proprio modo malé se habere. Nihil hic dico de evidentibus notis, aut inflammationis, aut congestionis, quae post mortem in febribus tam saepe reperiuntur; neque de vitiatis secretionibus, quae, ut procedunt febres, ex illis tam saepe effunduntur; etenim, postquam febris semel constituta est, dubium est an quae reperiuntur causa an effectus ejus sint; fortasseque primi affectus membranarum mucosarum solùm functionales sunt, itaque nullum manifestum signum oculis praebere possunt. At non solùm antecedentia signa febrium, sed causae excitantes unde proficisci solent, supra dictam opinionem optimè sustinere videntur. Ex his praecipuae sunt frigus, intemperantia, contagium; et in quam texturam hae causae tam evidentes effectus edunt, quàm in membranas mucosas? Soli primi effectus frigoris sunt actionem cutis impedire; atque ita plus sanguinis ad has mem-

branas depellere, quò, pari ratione quâ halitus a cute imminuitur, a partibus interioribus adaugetur. Non opus est dicere quemadmodum intemperantia in has membranas agat, ut quod omnibus satis evidens sit; neque absimile est, in his contagium vires suas primùm exercere. In iis morbis qui maximè manifestè contagiosi sunt, ut variola, ut rubeola, ut scarlatina, ut pertussis, ita rem se habere penè certò scimus; et sive per cutem, sive per pulmonem, contagium febrium corpus intrat, maximè veri simile esse videtur, idem membranas mucosas initio afficere. Ultimum est quaedam remedia febrium prophylactica, ad corroborandam Broussais sententiam, paucis citare. Nemo quidem, credo, ignorat quantùm, ad depellendum febris initium, valeat saepe vomitus; id quod praestare videtur, praecipuè membranas mucosas detergendo: parique ratione explicari potest, quòd medicamenta purgativa, initio febrium data, (uti a clarissimo Doctore Hamilton optimè ostenditur) tantopere saepe prosunt. Quòd si frigidae aquae affusio super cutem

febrem decurtare interdum videtur, hoc fortasse praestat ideo solùm quia, movendo reactionem in hâc parte, membranas mucosas liberat; hae enim si, impeditâ actione cutis, ut jam dictum est, onerantur, hâc adjutâ, necessariò liberantur. Supervacuum esse videtur plura in hanc partem hic subjicere: illud solùm dicam, siqua causa est, initio febrium, suspicari in membranis mucosis aliquam congestionem sanguinis (ut semper penè est) missione sanguinis liberè utendum esse; idque non modo in febribus continuis, sed in intermittentibus quoque. Hoc didici ex multis exemplis febrium intermittentium, quae curata vidi a Doctore Mackintosh, atque in quibus sanguinis detractio, ubi adhibita fuit paulò post initium febris, plurimum adjuvavit; saepiusque quàm semel morbum ex toto depellere visa est.

Venio nunc ad aliam admodumque notabilem classem febrium, in quibus, scilicet, eruptio super cutem certo die ostendere se solet. Ex his praecipuae sunt rubeola, scarlatina,

atque variola, quarum omnium prima signa talia sunt ut contagium, unde omnes oriuntur, primam suam actionem in membranas mucosas exercere (uti optimè ab HARRISON, ALCOCK, multisque aliis ostenditur,) negari vix possit. Incipit autem rubeola plerumque ab epiphora, coryza, sternutatione, tussi, raucitate, difficultateque spirandi ; quae omnia gravem affectum membranae mucosae oculorum, narium, laryngis, trachaeae et pulmonis manifestè ostendunt ; neque nisi post aliquot dies, subsequitur super cutem eruptio. At in scarlatinà primum indicium est molestia aliqua folliculorum mucosorum unde constant tonsillae, quae rubent tument atque dolent, tandemque saepe exulcerantur ; sic tamen ut cutis affectus, aut omnino nullus sit, aut certè non nisi post aliquod spatium superveniat. In variolâ autem quod primò occurrit est dolor in epigastrio qui compressione multum intenditur ; atque cum hoc simul, assidua nausea, saepeque vomitus, et, si puer est qui afficitur, non raró convulsiones. Quantùm hoc proximum signum ex vitiis membranarum

mucosarum saepe pendeat, erit locus postea dicendi; atque interim confitendum est quod coetera omnia ex internâ tunicâ ventriculi male se habente videntur proficisci. Factâ autem semel eruptione super cutem, hanc interiorem membranam liberari solere omnibus bene cognitum est. Dixi modò hos tres morbos ex proprio contagio omnes nasci; atque paulò antea, contagium fortasse omnium febrium in membranas mucosas primùm operari. Contra hanc opinionem adduci quidem potest, quòd variolae virus saepe per vulnus in brachio in corpus inducitur; verùm hoc non est firmum argumentum propriam actionem ejus non esse primùm in membranas mucosas. Novimus enim tartratem antimonii, si in venas corporis infunditur, aut aloën, si super cutem infricatur, non minùs vomitum aut dejectionem movere, quàm ubi per os assumuntur; neque specificam actionem multarum aliarnm rerum ullo modo mutari, propriâ ratione qua corpori admoventur. Sed ut variolam omittamus, contagium rubeolae optimè, ut videtur, corpus intrat, si membranae mucosae pro-

tinus adhibetur; id quod repertum est a celeberrimo patre professoris nostri Doctoris Home; qui, ubi voluit puerum hoc morbo afficere, sanguinem affecti pueri in gossipium accipere, idque in nares prioris inserere solebat. Praeterea primos effectus contagii, unde hi morbi oriuntur, in membranas mucosas esse hinc quoque verisimile est, quòd multae aliae eruptiones super cutem oriri solent ex causis quae evidenter membranam mucosam ventriculi et intestinorum primùm infestant. Hujus rei bonum exemplum habemus in strophulo, quo recens nati, ex malo aliquo primarum viarum, tam saepe vexantur; aliudque in aphthâ, quâ pueri paulò majores, plerumque ex acore ventriculi, laborant, neque ab eâ liberantur, nisi iis medicamentis quibus hic acor depellitur. Sed optimum omnium exemplum fortasse urticaria est; quae saepe, brevissimo tempore post devoratum aliquod quod alienum a ventriculo est, totam summam cutem occupat: multique igitur homines sunt, qui caseum, multi qui conchylia, multi qui nuces devorare non possunt, quin

protinus hâc eruptione tententur, quam tam diu persistere solet, donec res perniciosa sublata est.

Quod attinet ad remedia rubeolae, scarlatinaeque et variolae, haec eadem sunt quae in febribus aliis: sic tamen ut sciamus, si morbus semel confirmatus est, hunc nullam decurtationem admittere; solumque quòd praestare medicus potest, esse eundem non ad celerrimum, sed ad felicissimum finem perducere.

Alii praecipui morbi qui ex vitiis membranarum mucosarum initium suum capere videntur, sunt hydrencephalus acutus, phthisis, tabes mesenterica, aliaque mala strumosa, et denique podagra.

Ex his primus, qui infantes maximè vexat, ab optimis recentibus scriptoribus a Cheyne, Yeats, Abercrombie, aliisque, in duas species divisus est, idiopathicum scilicet, et symptomaticum; aestimatumque est, ex decem morbi exemplis, non plura quam unum

idiopathicum esse, dum caetera omnia symptomatica sunt. Sed posterior semper pene in membranâ mucosâ ventriculi et intestinorum primam suam sedem habere videtur; id quod testantur longa vitia harum partium, quae capitis affectum antecedere solent; simul cum sordidâ linguâ, nauseâ, ventris doloribus, alvoque astrictâ, a quibus hydrencephalus acutus incipere consuevit. Fortasse minor modus ejusdem morbi est cephalalgia, quae quàm saepe in adultis ex pravâ conditione ejusdem membranae oriatur omnibus satis superque notum arbitror. Creditur vulgò hydrencephalus habitum strumosum praecipuè infestare; id quod fortasse verum est; sed struma ipsa a Lloyd, multisque aliis clarissimis viris, ex membranis mucosis quodammodo vitiatis oriri existimatur. Atque certè duae formae ejus, eaeque maximè pestiferae, ad has membranas manifestè referri possunt; phthisin pulmonalem dico et tabem mesentericam.

Ex his posterior, ut satis bene cognitum est,

constat ex tumore et exulceratione glandularum conglobatarum in mesenteriâ; qui tamen affectus fortasse nunquam oritur nisi ex vitio aliquo membranae mucosae intestinorum; quò fit ut, aut ex absorptione corruptae materiae, aut ex merâ irritatione, proximae glandulae afficiantur, planè eodem modo quo bubo in inguine ab ulcere venereo partium genitalium excitatur. Itaque, ut inquit clarissimus Broussais, sectio corporum hoc morbo mortuorum, semper ostendit, simul cum corruptâ conditione glandularum ipsarum, aliquam, aut inflammationem, aut exulcerationem tunicae internae intestinorum; ita ut liceat colligere quòd "Les ganglions du mesentère ne s'enflamment que par l'effet de "l'enterite, et cette double phlegmasie con-"stitue le carreau."

Idem pene de phthisi pulmonali fortasse dici potest. Sub hoc morbo tubercula in pulmone formantur; quae, ut multis claris viris placet, nihil aliud sunt, quàm glandulae conglobatae, in strumoso corpore, ut solent, pau-

lùm ampliatae. Hae vero, quamdiu membrana mucosa pulmonis bene se habet, diu latent, neque aliquid mali movent ; quòd si verò in hâc aliqua irritatio nascitur, uti ex catarrho, rubeolâ, haemoptysi, vel iis similibus morbis, haec irritatio ad tubercula fertur, quae protinus inflammari incipiunt, citòque ad exulcerationem procedunt.

Sequitur podagra, quae, non minùs quàm praecedentes morbi, in membranis mucosis inchoari videtur. Incipit enim semper a dyspepsiâ, etiam ubi regularis est ; et si aut atonica aut retrograda est, omnia pessima ejus signa excitare solet. Dici quidem potest quòd dyspepsia constat magis ex infirmitate tunicae musculosae ventriculi, quàm ex vitio aliquo membranae mucosae. Veruntamen a clarissimo Parry, atque aliis, haec ipsa infirmitas ventriculi ex congestione internae tunicae ejus proficisci putatur ; eodem modo quo deficientes vires musculorum, quibus spiritus efficitur, creditur a Bree ex congestione membranae mucosae pulmonis oriri.

Itaque, ex signis unde incipiunt, omnes proximè dicti morbi ad membranas mucosas jure referentur ; neque minùs contemplatio causarum quibus protinus excitantur, remediorumque quibus optimè arcentur, eandem opinionem confirmat. Aliqua intemperantia, aut frigus, aliaeve causae quae primum in has membranas evidenter agunt, omnes movere possunt; omnesque, qui depelli initio possunt, iis remediis depelluntur, quae has membranas liberant atque corroborant, praecipuèque medicamentis purgantibus et amaris.

Proximum est ut de iis morbis nervosis loquar, qui in membranis mucosis primam suam sedem habere videntur: incipiam autem a morbis spasmodicis ; finemque tandem faciam pauca de mentis affectibus proponendo.

Jam saepius quàm semel dixi admodum verisimile esse primos effectus contagii in his membranis occurrere, subjecique modò opinionem Doctoris BREF, asthma saepe originem suam habere ex congestione mem-

branae mucosae pulmonis. Haec igitur si consideramus, fieri non potest quin credamus pertussim eandem primam sedem habere: neque enim quo modo aliter morbus spasmodicus, et ideo functionalis, ex contagio oriri possit, facile est intellectu; et bene notum est quàm saepe affectus spasmodici variorum musculorum vitio vicinae membranae mucosae excitentur. Hujus rei familiare exemplum habemus in cynanche tracheali; quae tam saepe spasmo musculorum glottidis excitato, vitam per strangulationem finit. Planè idem fortasse de hydrophobiâ dici potest; in quâ nuper vomitoria, oleumque terebinthinae a Satterley et Powell tantopere laudata sunt. Neque solum propriarum partium musculi, sed omnes penè in corpore, spasmo affici possunt, quoties membrana mucosa ventriculi et intestinorum malè se habet. Quàm saepe epilepsia, in pueris, evidenter ex vermibus, aliâve causâ irritante in his membranis, proficiscitur: ut credibile sit, hunc morbum, nisi ubi ex malo aliquo organico intra calvariam oritur, hîc semper penè incipere; quam-

vis fortasse, ubi semel corpus occupavit, ex solâ consuetudine (veluti alii morbi spasmodici) iterum iterumque redire potest. Hoc modo explicari possunt boni effectus qui tam saepe, ex oleo terebinthinae, a LATHAM et YOUNG ita laudato, aliisque validis purgantibus remediis, in hoc malo oriuntur; fortasseque corroborantia ipsa, ubi prodesse videntur, ideo praecipuè prosunt, quòd ventriculum atque intestina corroborant.

Idem penè dici de hysteriâ, choreâque, et tetano potest. Ex his prima a clarissimo CULLEN, ex congestâ conditione membranae mucosae vulvae initium suum capere existimata est; atque ita tempore menstruorum maximè urget, remediisque deplentibus optime depellitur. At choream saepe, atque adeo fortasse semper, ex vitiatâ conditione membranae mucosae primarum viarum originem suam habere, nemo, credo, qui Doctoris HAMILTON librum de Medicamentis Purgantibus quàm levissimè legit, negare poterit. Ostendit enim ille quàm incredibile onus ster-

coris in puerorum, hoc morbo affectorum, intestinis saepe reperiatur, quantùmque boni semper penè oriatur, ex medicamentis purgantibus, in magnâ copiâ diuque adhibitis. Quod attinet ad tetanum, diu quidem putatum erat trismum nascentium ex intestinis oriri ; sed primus, ut arbitror, qui tetanum adultorum intestinorum vitio nasci ostendere voluit, clarissimus ABERNETHY fuit; qui, in libro illo quem de his vitiis scripsit, ubi de tetano ex vulnere oriente loquitur, hanc quaestionem proposuit, " Quaenam alvi conditio est, inter vulnus acceptum, et tetani accessionem ? Quod argumentum postea prosequens, inter alios, DIXON, reperit hanc penè semper pertinaciter astrictam esse, omnesque igitur secretiones vehementer perturbatas. Itaque non quidem alvus astricta ex tetano, uti olim creditum est, sed tetanus ex alvo astrictâ plerumque oriri videtur; fortasseque, si quid unquam profuturum est in hoc terribili malo, alvi plena purgatio erit.

At praecipui mentis affectus sunt hypo-

chondriasis, melancholia, mania et oneirodynia. Ex his primus ita cum dyspepsiâ plerumque conjungitur, ut propemodum idem morbus saepe existimetur, et dyspepsiam ex congestione membranae mucosae ventriculi saepe oriri, ex testimoniis clarissimi Doctoris Parry, jam proposui. Hypochondriasis autem plerumque a maniâ melancholiâque ideo distinguitur, quòd in priore dyspepsia necessariò est, in posterioribus non est; at si id quod nuper dictum est de his proximis morbis fide dignum est, hoc discrimen reverâ non existit; omnesque pariter ex vitiis membranarum mucosarum ventriculi et intestinorum nascuntur. Jamdiu quidem cognitum est in maniâ atque in melancholiâ functiones horum organorum vehementer saepe perturbatas esse; sed creditum est, veluti modò de tetano dixi, illam perturbationem ab affectu mentis, potiùs quàm hunc ab illâ oriri. Tandem autem ostendit Pinel, postque eum Percival, Halloran, Hill, aliique plures, haec mala primarum viarum, omniumque penè secretionum corporis, accessionem insaniae plerumque antecedere;

quinetiam affirmat HILL se posse venientem insaniam penè semper praesagire ex proprio odore halitûs oris, aliarumque secretionum. Neque quidem magis absimile esse videtur Maniam aut Melancholiam, in adulto corpore primam suam sedem in ventriculo et intestinis habere, quàm in infantili hydrencephalum, id quod inter omnes penè constat; et cùm effectus dyspepsiae in excitando, ut vigilanti hypochondriasim, ita dormienti oneirodyniam, omnibus bene notus sit, nulla ratio esse videtur, cur concedamus alios mentis affectus ex hâc causà oriri, alios, eosque simillimos, negemus.

Hoc modo igitur explicari potest cur, ab antiquissimis temporibus, medicamenta vomitoria et purgantia in istis morbis tantâ laude semper fuerint, unde vetus proverbium, quo insani Anticyram mandari solebant, propter copiam hellebori, qui ibi nascebatur; neque quidem hodie aliquod remedium novimus quod saepius quàm haec respondet, fortasseque si satis maturè adhiberenter, dum malum

adhuc functionale solùm esset, neque praedispositio magna, plerumque valerent ad morbum discutiendum.

Atque ita quidem, multò magis festinanter quàm argumenti gravitas postulavit, praecipuos generales morbos, qui ex membranis mucosis male se habentibus oriri existimantur, prosecutus sum. Impedit me necessaria brevitas hujus generis disputationis plura de singulis dicere quàm quod ex toto necessarium fuit; eademque coëgit ut quosdam alios morbos, quos eandem originem habere verisimile est, omnino praetermittere. Malim tamen ab aliquâ parte deficere, quàm nimiâ prolixitate molestus esse, idque maximê, cum, ut initio dixi, satis sciam me nihil novi, utcunque sim longus, esse prolaturum.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.